DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI.

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL BELL LABATT,

HIBERNUS,

SOC. REG. EDIN. PHYSIC. SOC. &c.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Ego certe, an ex ulla doctrina, si caelestem exceperis, majora in genus humanum beneficia, quam ex medendi scientia possint redundare, non perspicio.

HOFFMAN.

EDINBURGI,

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCXCVII.

REVERENDO ERUDITOQUE ADMODUM VIRO

CHRISTOPHORO ADAMSON, L. L. D.

DUBLINII,

QUI, IN MUNERE SACRO FUNGENDO

SINE OSTENTATIONE PIUS,

MORUM INTEGRITATE ECCLESIAM ADORNAT,

ET

CUJUS PATERNA PIETAS

INGENTI SUA LIBERALITATE

TANTUM ADÆQUARI POTEST,

S.

SAMUEL BELL LABATT.

En! illa facultas, mihi tam ſæpe optata, amici beneficia palam agnoſcendi, nunc adeſt. Cui tunc potius quam tibi, qui me ſemper conſilio adjuviſti, curâ foviſti, amicitiâ honoraſti, haſce ſtudiorum primitias dicare debeam? Singularis tua erga me benevolentia multis tempeſtatibus experta, et tua plurima in me collata beneficia, dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus, alta mente repoſta manebunt; ſed de his in præſens ſilebo, namque metuo, ne enarrata modeſtiam tuam mihi optime notam lædant. Concede ergo, amice chariſſime, ut, aliquod ſaltem grati animi teſtimonium, has paginas tuo nomine inſcribat cognatus tuus devinctiſſimus. Eas ſolita tua humanitate ſuſcipias et me eadem benevolentia ulterius proſequi pergas. Vale amiciſſime. Vale diu. Deus te diu ſoſpitem ad eccleſiam pietate, ad ſocietatem lenioribus virtutibus ornandam et ad felicitatem familiæ tuæ promovendam ſervet.— Cœptis tuis, votiſque noſtris benignus aſpiret.

Edinburgi, idibus Junii 1797 *dabam.*

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

Auctore, SAMUELE BELL LABATT.

MINIME vel ſcribendi amore vel audacia juvenili adductus, ſed neceſſitate coactus, de podagra in paginis ſequentibus tractare decrevi. Hic morbus medicorum attentionem, nequaquam immerito, in ſe magnopere convertit. Nam " divites

" plures interimit quam pauperes, plures ſapien-
" tes quam fatuos."

Definitionem â celeberrimo CULLENO morbi de quo nunc agimus, omnibus aliis anteponimus.

Hic Noſologus accuratiſſimus ſic apte definivit.

" Morbus hæreditarius, oriens ſine cauſa exter-
" na evidente, ſed præunte plerumque ventriculi
" affectione inſolita, pyrexia, dolor ad articulum
" plerumque pedis pollici, certe pedum et ma-
" nuum juncturis potiſſimum infeſtus; per inter-
" valla revertens, et ſæpe cum ventriculi, vel
" aliarum internarum partium, affectionibus alter-
" nans."

Podagram morbum hæreditarium eſſe inter omnes fere medicos conſtat, et haud affirmare dubitem, multos exiſtere mortales in quibus nulla alia, præter hæreditariam labem, cauſa aſſignari poſſit, quippe qui, licet caſtê et temperatiſſimê degentes, hoc tamen morbo etiam juvenili ætate, correpti ſunt. Experientia ſatis conſtat, virilem ſexum præcipue hunc morbum invadere, muliebrem rariſſime,

hujus

hujus tamen exempla non deſunt, et plerumque mulieres robuſto corporis habitu adoritur.

A Seneca certiores facti ſumus, podagrâ fœminas Romanas nequaquam immunes eſſe, quod, earum luxui et intemperantiæ merito attribuit. Uſu docemur quod hic morbus rariſſime inter obſcuræ ſortis homines reperitur, utpote qui, labore quotidiano victuque tenui â diro ejus impetu conſervantur, et probe novimus eorum prolem perraro huic morbo obnoxiam eſſe.

" Behold the lab'rer of the glebe, who toils
" In duſt, in rain, in cold and ſultry ſkies:
" Save but the grain from mildews and the flood.
" Nought anxious he what ſickly ſtars aſcend;
" He knows no laws by ÆSCULAPIUS giv'n;
" He ſtudies none; yet him nor midnight fogs
" Infeſt, nor thoſe envenom'd ſhafts that fly
" When rabid SIRIUS fires th' autumal noon.
" His habit pure with plain and temp'rate meals,
" Robuſt with labour, and by cuſtom ſteel'd
" To ev'ry caſualty of varied life,
" Serene he bears the peeviſh eaſtern blaſt,
" And uninfected breathes the mortal ſouth.
" Such the reward of rude and ſober life,
" Of labour ſuch *."——

* ARMSTRONG.

Podagra multo ſæpius in ædibus divitum, quam in pauperum tuguriis occurrit, et quidem fere in prioribus tantummodo commoratur.

Rariſſima ſunt hujus morbi indicia apud eunuchos, niſi victui opiparo et otio nimis deditos.— " Cæterum (inquit GALENUS) eunuchos podagra non laborare, HIPPOCRATIS quidem tempore, verum erat; nunc vero non amplius tum propter nimium otium, tum ſimul victus intemperantiam." Et paulo poſt addit, " Talis enim eſt eorum deſidia, tanta ingluvies et crapula, ut etiam abſque veneris uſu corripi poſſunt podagra *."

Homines temperamento quodam hæreditario, cholerico ſanguineo, robuſto corporis habitu, reti mucoſo craſſo, plenitudine univerſa, grandique capite, podagræ potiſſimum ſunt obnoxii, ſed perraro eos invadit, qui trigeſimum quintum ætatis annum nondum implerunt. GREGORIUS tamen teſtatur ſe juvenem unum alterumve ante ætatis ſuæ viceſimum annum, podagrâ affectum noviſſe. Et

GRE-

* Charter, Tom. IX. p. 264.

Gregorius illuſtriſſimus hujus pater, filii tali patre digniſſimi, podagram quæ mature valde in vita ſeſe oſtenderit circiter annum ætatis quinquageſimum nonnunquam omnino decedere, affirmat.

CAUSÆ.

Nunc ad rem haud parvi momenti, animum pauliſper convertamus, videlicet, quales ſint cauſæ hujus morbi remotæ; has in prædiſponentes et occaſionales dividere in uſu eſt, quoniam autem priores, quatenus ſignis externis ſeu generali temperamento, deſignari poſſint, antea leviſſime tetigi, nunc igitur poſteriores tractare pergam. Hæ poſſunt ſub duobus capitibus comprehendi. *Primo*, Quæcunque ſtatum corporis plethoricum inducunt. *Secundo*, Omnia quæ debilitatem plethorico in habitu movent. Prioris generis ſunt, vita otioſa et ſedentaria, diæta plena cum liquore fermentato nimis liberaliter adhibito. Alterius generis

neris ſunt, venus immodica; nonnulli auctores negant, venerem cauſam eſſe podagræ, ſed falſo ut experientia ſatis conſtat: verum eſt, quidem, plures cauſas diſtinctas ad dandum huic morbo exordium, convenire, et perraro accidit, ut qui venerem colunt non vino quoque indulgeant; inde, poetis podagra Bacchi Veneriſque filia nuncupatur.

Λυσιμελὴς Βακχὺ καὶ λυσιμελὴς Ἀφροδίτης
Γίγναται θυγατὴρ λυσιμελὴς Ποδάγρα.

Lucubrationê permulti morbi contrahuntur, quippe quæ tempus, à naturâ ſomno dicatum abſumit, cujus neceſſitas, ex corporis et animi languore, quem vigiliæ inducunt, quæque diu continuatæ nequeunt quin ſimul corporis vires exhauriant, atque animi dotes infirment, plane apparet. " Defectus ſomni multimodis nocet, imprimis generi nervoſo, organa ſenſuum externorum et internorum, motuſque omnigeni ad ſua munera minus apta reddit, hinc ſenſus vel nulli vel imperfecti et depravati. Capitis dolor, vertigo, imbecillitas, memoriæ

memoriæ defectus, delirii ſpecies, ipſa demum inſania, debilitas artuum, et imperfecta et inordinata vitalium organorum actio, pulſus frequens, calor, febris, concoctio cibi prava, corpus parum nutritum, macies, ſecretiones demum et excretiones auctæ, vel impeditæ, vel perturbatæ *."

Dyſpepſia quomodocunque nata, vel quantitate vel qualitate cibi diu in podagræ cauſarum numero habita eſt. Nil eſt quod digeſtionem magis efficaciter promovet quam exercitatio, aſſueti igitur laboris omiſſio longam dyſpepſiæ ſymptomatum cohortem ſæpe inducit. Dum exercitatione multos morbos depellimus quibus alioquin obnoxii eſſemus.

Diætæ a plena ad parcam mutatio, præcipue ſi ætate in provectiore accidat, totius corporis debilitatem immodicam efficit, et ſic viam impetui podagræ ſternit.

Nimia acidorum et aceſcentium uſurpatio, cauſis hujus morbi remotis, annumerari meretur, et nonnullis

* Gregor. Conſp. Med. Theoret.

nullis auctoribus affirmare placuit, acidum, quod (ut hi volunt) articulorum ſynoviam corrumpit, cauſam podagræ præcipuam eſſe: ſed hæc ſententia jam pene abolevit. Vereſimilius et quotidianæ experientiæ magis congruum eſt, acida, quo magis ventriculi debilitatem inducunt, eo magis ſtatum corporis podagricum movere.

Cauſas inter remotas affectiones deprimentes, quæ corpus totum infirmant, et ejus functiones perturbant; ebrietas frequens; nimia ambulatio aut ſaltatio, evacuationum conſuetarum ſuppreſſio, vel eædem præter naturam adauctæ; frigus cruribus ſudantibus ſubito admotum, et denique ſenectus, multorum morborum prænuncia, maximo quidem jure recenſeri poſſunt.

Sunt qui ſupradictis et alias cauſas excitantes, veluti tendinum intenſiones, contuſiones aliaſque læſiones externas annumerant. Utrum necne hæ cauſæ remotæ per ſe ſine labe hæreditaria præſente, morbum movere valeant, haud liquido patet; non eſt diſſimulandum has omnes fere cauſas iterum atque iterum, viribus conjunctis applicatas

fuiſſe,

fuiſſe nulla inſecuta podagra; et porro, aliquando invenimus eos qui harum nullis fere opportuni fuerant, hoc morbo laborantes, quorum vero parentes eodem laboraverant.

NARRATIO SYMPTOMATUM.

Paroxysmus podagricus aliquando, nullis ſymptomatis præcedentibus, repente invadit, plerumque autem plures functiones, præſertim naturales, prius turbantur; ſymptomata acceſſus ejus præcipua ſunt ſequentia, membrorum inferiorum frigus, interruptio ſolitæ eorum perſpirationis; nunc ſpaſmi, nunc torpor cum punctionis ſenſu, in iis percipiuntur; venæ admodum varicoſæ fiunt, atque appetitus proſtratus, aliis dyſpepſiæ ſignis, qualia ſunt, nauſea, flatus, &c. comitantibus. Indicia nunc narrata, paroxyſmum inſtantem ſæpe indicant; interdum die ante ejus acceſſum appetitus voracior fit, et vir cl. van Swieten, appetitum venereum nonnun-

quam præter naturam adauctum esse imminente paroxysmo, memoriæ tradidit.

A SYDENHAMO, qui per multos annos podagricus fuit, certiores facti sumus, hunc morbum, Januario exeunte vel ineunte Februario mense, plerumque invadere; tamen huic tempestati haud omnino limitari videtur, nam tempus anni nullum est, quo paroxysmus podagricus non adoriatur, ut experientia docemur.

Æger interdum vesperi corripitur; sed multo sæpius mane, horam circiter secundam vel tertiam, subito dolore, eum referente qui ossium dislocationem fere comitatur, aliquando genua, calcem vel malleolos, sed plerumque pedis pollicem occupante, ex somno excitatur. Exempla tamen non desunt, ubi carpus ac manus, nulla pedum affectione vel præcedente vel comitante, primo vexantur. Statim instat frigus majus, cum horrore et rigore totius corporis et quadam febricula; hæc, sequitur pyrexia, quæ sæpe durat dum dolor manet. Dolor magis magisque urget, horrore et rigore viciſſim evanescentibus, interdum est sensus quidam quasi

pars

pars dolens canibus morderetur, interdum fit compreſſionis et ſtricturæ ſenſus, et ſæpe accidit, ægrum, propter ſummum dolorem, vix aut ne vix quidem ſtragulorum pondus ſuſtinere poſſe, immo agitatio lecti vel minima dolorem affert. Ligamenta et pedum membranæ quam maxime diſtenduntur, et quaſi lacerari ſentiuntur. Hunc fere in modum dolor permanens, magna inquietudine et perpetua ſed incaſſum tamen mutatione ſitus tum corporis ipſius tum membri affecti, comitatur, uſque ad mediam noctem proximam, quo tempore, dolor gradatim remittit, et poſt viginti quatuor circiter horas a prima acceſſione omnino plerumque ceſſat; dein ſudor univerſus, ſed vix copioſus, erumpit, et æger jam fatigatus ſomni gremio commititur: ex quo denuo evigilans, partem, quæ antea doluit, tumefactam, ſentit, quæ poſt aliquot dies ex toto detumeſcit; poſtea, per trium aut quatuor dierum ſpatium, dolor et quædam pyrexia majori minorive violentia veſperi revertere ſolent, et ad galli cantum uſque perſtare, tunc æger ſublevatur et ſic veſpertinis acceſſionibus per aliquot dies conflicta-

tus, morbo omnino ſolvitur, ſæpius vero intervallo, vario variis in hominibus et in eodem homine diverſis temporibus, redituro. Poſt paroxyſmum, ægrotus valetudine commoda auctiſque et animi et corporis viribus ut plurimum fruitur, et appetentia cibi reſtituitur.

Morbo incipiente, alter tantum pes laborat, ſed provectiore in morbo uterque viciſſim laborat; tunc autem paroxyſmi, (ſecundum SYDENHAMUM) tum quoad tempus invaſionis tum etiam quoad durationem, abnormes evadunt. Pedes non ſoli dolent, nam cum, per diuturnam ejus moram pertinacior fit morbus, alias partes veluti majores ut cubitum ac genu articulos, adoritur. Paroxyſmo inſtante appetitus proſtratus fit, et partes a dolore liberæ gravitatis ſenſu laborant; ſub veſperem frigore univerſo totum corpus afficitur; alvus ſæpe pertinaciter aſtringitur; urina per quatuordecem primos dies coloratior fit et poſtea ſedimentum rubrum arenoſum deponit; et evaneſcente paroxyſmo, pruritus fere intolerabilis, pedis laborantis digitos corripit, e quibus poſtea cruſtæ lepram referentes decidunt. Sy-

DEN-

DENHAMI auctoritate, quo vehementior dolor, eo citius ſtadium peragit paroxyſmus, atque inſuper quod longior erit intermiſſio et magis perfecta idem affirmat; ſed hoc negat cl. CULLENUS. Corpore multum diuque perpeſſo, animus quoque afficitur. Æger adeo aſper et iracundus redditur, ut a SYDENHAMO multa experientia edocto, haud rectius podagræ quam iracundiæ paroxyſmum dici poſſe affirmetur.

Quando morbus ſæpius ſe oſtenderit, articuli affecti priſtinum ſtatum vix recuperant, ſed debiles et rigidi permanent, et tandem prorſus immobiles fiunt; dum eos circum concreta cretacea acidis in toto diſſolubilia, plerumque formantur; quæ, primo ſub forma fluida deponuntur *, et poſtea dureſcunt: nonnullis in caſibus, unus aut plures ex digitis incurveſcunt. In hoc rerum ſtatu, dolores miteſcunt, ſed æger nauſea et aliis ſymptomatis podagræ atonicæ, poſthac enumerandis, vexatur. Morbus quo magis protrahitur, eo magis intervalla decreſcunt, adeo ut provectiore in morbi ſtatu, æger

* CULLEN's Firſt Lines,

æger raro aut nunquam integra valetudine fruitur, duobus tantum aut tribus menſibus æſtivis exceptis, et forſan hic morbi progreſſus regiminis genere quo utitur æger multum afficitur. Cel. SYDENHAMUS, eos qui diu podagrici fuerunt, affectionibus nephriticis fieri obnoxios, cum paroxyſmis podagricis alternantibus, affirmat.

Podagra, formas a deſcriptione jamjam tradita, longe alienas, frequenter induit, quod me, maximo jure ad ejus diviſionem inſtituendam in varietates diverſas, inducit, et id agens, veſtigiis ſummi Noſologi, qui eam in quatuor varietates, Regularem nempe, atonicam, retrogradam, et aberrantem, diſtinguit, inſiſtam; haſque ejus, ordine modo dicto, verbis definiam.

REGULARIS.

DEFINITIO.—" Podagra cum inflammatione ar-
" tuum ſatis vehementi per aliquot dies perſtante,
" et

" et paulatim cum tumore, pruritu et deſquamatio-
" ne partis recedente."

Hæc morbi varietas deſcriptioni jam traditæ apte congruit, de proxima igitur in ordine varietate differere pergam.

ATONICÆ.

Definitio.—" Podagra cum ventriculi vel a-
" lius partis internæ atonia, et vel ſine expectata
" aut ſolita artuum inflammatione, vel cum dolo-
" ribus artuum lenibus tantum et fugacibus, et
" cum dyſpepſia, vel aliis atoniæ ſymptomatis,
" ſubito ſæpe alternantibus."

In hac podagræ varietate affectiones articulorum inflammatoriæ deſunt, ſed alia indicia pejora inſtant, veluti anorexia, nauſea, vomitio et ſimilia cum dolore ventriculi; quæ ventriculum male ſe habere demonſtrant. Spaſmi in diverſis corporis partibus, qui ſæpe eructatione tolluntur, ſentiuntur. Alvus plerumque aſtricta eſt, ſed non-

nunquam

nunquam diarrhœa doloribus comitata colicis urget. Signa hypochondriaſis, ut mæſtitia, metus, anxietas, &c. perraro deſunt. Viſcera thoracica hac in varietate aliquando afficiuntur, cum malum occupat cor, hujus organi motus vehemens, abnormis et ſyncope occurrunt; ſed cum impetum ejus in pulmones facit aſthma et dyſpnœa ſeſe oſtendunt. Poſtremo ſi cerebrum affligi accideret, vertigo, cephalalgia, apoplexia aut paralyſis expectanda ſunt.

RETROGRADÆ.

Definitio.—" Podagra cum inflammatione ar-
" tuum ſubito recedente, et ventriculi vel alius
" partis internæ atonia mox inſecuta."

In hac varietate, pariter ac in regulari incidit, inflammatio et dolor articulos corripiunt, at in illa multo leniores, nec tamdiu quam in hac durant, nec gradatim decedunt, ſed brevi manentes, ex iis ſubito evaneſcunt, et partem aliquam internam occupant.

cupant. Viſcus quod hac metaſtaſi ſæpiſſime affici ſolet, ſane eſt ventriculus, ubi dolor, anxietas, vomitio, &c. moventur. Cum hæc tranſlatio alia organa vexat, eadem ſymptomata, ſecundum organum affectum, ac ſub varietate atonica deſcripſimus, efficit.

ABERRANTIS.

Definitio.—" Podagra cum partis internæ in-
" flammatione, vel non prægreſſa, vel prægreſſa,
" et ſubito recedente, inflammatione artuum."

In hac podagræ ſpecie, pars quædam interna ſunt inflammatur, unde ſymptomata, ab iis, quæ ex cauſis admodum diverſis gignuntur, vix diſcrepantia, oriuntur; quin et, huic varietati, quantum ex auctoribus diſcere poſſum, pulmones maxime videntur proclives. An diatheſis podagrica, talem inflammationem partium internarum, ſine ulla articulorum inflammatione præcedente, gignat, an partium

internarum affectus, sit translatio ex articulis, haud satis constat.

Sagax Cullenus dubitavit utrum affectus intestini recti et colli vesicæ, (ille faciens dolorem et tumores hæmorrhoidales, dum hic efficit dolorem, stranguriam, et catarrhum vesicæ) qui in podagricis apparent, sint exempla podagræ retrocedentis vel aberrantis.

DIAGNOSIS.

Podagram regularem omnibus ab aliis morbis (excepto solo rheumatismo) pro certo dignoscimus: plerisque quidem in exemplis, hi morbi, rheumatismus nempe et podagra, satis apte a se invicem distingui possunt, si sedulo utriusque historiæ animum attendamus. Homines qui annum ætatis quadragesimum implerunt multo magis quam juvenes podagræ obnoxii sunt, sed hi, quam illi, rheumatismo opportuniores, et mulieres perraro podagræ

græ ſæpius rheumatiſmo proclives ſunt; inſuper, podagra articulos membrorum minores plerumque afficit, dum rheumatiſmus majores ſæpiſſime vexat, hujus dolor locum mutare magis aſſueſcit; quin et, podagra morbus hæreditarius eſt, et ſine cauſa evidente externa oritur, et eos, qui vitam nimis ſedentariam degunt, præcipue afficit; contra, rheumatiſmus neque morbus hæreditarius eſt, nec eos qui vita ſedentaria indulgent, præcipue vexat; ſed ex cauſa (frigore nimirum) evidente externa, originem trahit. Podagra plerumque unum articulum tantum eodem tempore invadit, rheumatiſmus vero plures ſimul corripit. Paroxyſmi in podagra quam in rheumatiſmo ſæviores ſunt; varia dyſpepſiæ ſymptomata ut anorexia, nauſea, ructus acidi, &c. paroxyſmum podagricum prægrediuntur, in rheumatiſmo contra, talia indicia deſunt. Ex iis nunc expoſitis, plane apparebit, podagram regularem admodum facilem eſſe dignotu, ſed in irregulari podagra, res longe aliter ſe habet; tamen, ſi noſtram attentionem ad ea ſymptomata in utriuſque ſpeciei hiſtoria tradita, necnon ad corporis ſtatum, qui homines

huic morbo obnoxios facit, caute dirigamus, diagnoſin ſatis accuratam formare plerumque poſſimus. Cum ſymptomata in podagræ atonicæ hiſtoria tradita, podagrico in temperamento occurrunt, et præcipue cum, in iis vel evidens proclivitas ad affectionem articulorum antea ſeſe oſtenderit, vel indicia dicta, una cum quodam gradu podagræ inflammatoriæ, invadunt, et exinde aliquantulum levantur, res ſatis evidens fit.

Podagra retrograda in omni fere caſu, priuſquam partes internas vexat, plus minuſve moleſtiæ articulis affert, et porro, ventriculus præ cæteris viſceribus impetui ejus patet, igitur talibus in exemplis diagnoſis haud difficilis videtur. Podagra aberrans pro certo dignoſci nequit, ſed attentio accurata ad ſymptomata varia multum valet. Unicum tantum hujuſce varietatis exemplum expertiſſimo noſtro GREGORIO occurrit; et cl. CULLENUS ſe ne unum quidem notaviſſe memorat.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Nunc ad ea, quæ aut fauſtum aut funeſtum indicant eventum, advertamus.

Ægroti conſtitutione et ætate, morbi cauſis et vi probe conſideratis, exitum melius prædicemus. Podagræ eventus, prout formam plus minuſve regularem induit, variabit. Quando in junioribus apparet, qui vitam regularem degerunt, et cum in iis extremos tantum artus afficit, exitus fauſtus eſt expectandus; ſed quando a forma regulari aberrat, præſertim in ſenioribus qui genio indulſerunt, malum augurari fas eſt.

CURATIO.

Haud amplius noſtram admirationem movebit, podagræ curationem tantopere medicorum attentionem

tionem in omni fere ſeculo in ſe convertiſſe, cum, ingentem illuſtrium virorum numerum, qui ab ea affecti ſunt, contemplamur; et ob amplam hunc morbum non ſolum in aliis, ſed etiam in ſibiipſis, facultatem obſervandi quam medici variis temporibus habuerunt, curationem ejus certiſſimam in ævo noſtro effici potuiſſe, nobis ſperare liceret; medici autem, podagram vix aut ne vix quidem ſanari poſſe, adhuc dolent, et quod multo pejus, vereor ne, ſicut nonnulli alii morbi, medicinæ opprobium diu maneat.

Satis quidem conſtat, multa ad podagræ curationem efficiendam remedia, perpauca quidem bene, plura vero male merentia, in publicum prolata fuiſſe, ſed attentionem meam tantummodo ad ea, quibus hiſce in temporibus plus fidei adhibetur, impendere conabor.

Uſitatum eſt, hujus morbi curationem, ſub duobus capitibus tractare:

I. Per intervalla parmoxſymum arcere, vel reditum mitiorem reddere.

II. Pa-

II. Paroxyſmum naſcentem opprimere, vel breviorem facere.—Primum abſolvitur.

I. *Exercitatione.*—Experientia ſatis demonſtrat miram exercitationis efficaciam in hoc et aliis quibuſdam morbis arcendis; exercitatio moderata multum ad præcavendum podagræ paroxyſmum valet, ſed vehementior aut nimis diuturna corpus exhaurit, debilitat, et multis morbis opportunum facit; igitur ad ægri vires et ætatem ut et ad morbi ſtatum accommodari debet; oportet etiam (ſic docet SYDENHAMUS) exercitationem moderatam et quotidianam eſſe. Si æger juvenis ſit et viribus integer, ambulatio ſub aëre puro et ſicco cuivis alii exercitationis generi longe præſtat. Cum æger annis provectior eſt et præcipue cum proclivitas articulorum inflammationi major eſt, ambulatio multum noceret, vel tonum extremorum debilitando, vel inflammationem augendo, nunc illum alio exercitationis genere, ut equitatione, uti oportet; denique ſi propter provectiorem ætatem vel morbi vim, haud poſſit equitationem ferre, tum neceſſe ſit, ut rhedâ vehatur, quippe, corpus leniter

et

et continenter concutiendo, multum, infirmis, exercitationi majus actuosæ imparibus, proficit: in tali rerum statu navigatio haud parum juvat, et etiamsi lenis sit exercitatio, tamen, utpote constans diuturniores effectus præbet. SYDENHAMUS solita ejus sagacitate podagricos ad exercitationem hortatur, et senes non aliunde levamen sperare monet. Bene dixit poeta,

" Health is the vital principle of bliss,
" And exercise, of health."

Exempla permulta, ab auctoribus medicis, quæ, laboris et abstinentiæ in præcavendo podagræ reditu mirabilem vim plane demonstrant, tradita sunt. Vir cl. van SWIETEN exemplum hujusmodi memorat. " A fide dignissimis hominibus accepi, pingui sacerdotio fruentem virum, et veteranum jam podagricum, a piratio captum per biennium integrum in triremibus barbarorum remigasse, hoc effectu, ut postea a captivitate redemptus, nimia et molesta

moleſta obeſitate liberatus, nec unquam poſtea podagra correptus fuerit, licet plures annos ſupervixerit."

Abſtinentia.—SYDENHAMUS ex experientia quam in proprio corpore æque ac in aliis habuit, nobis duo haud aſpernanda monita, quæ ad podagricorum victum attinent, tradidit.

" Primum itaque ea in cibo potuque mediocritas eſt obſervanda, ut neque plus alimenti ingeratur quam ventriculus concoquere valeat, ac proinde morbo fomes ſubminiſtretur: neque e contra nimia abſtinentia partes ea proportione defraudentur, qua earundem robur et vigor debuerat ſuſtineri, unde etiam magis debilitentur." Sed nos tamen in hac re, diætâ ægro antea aſſuetâ dirigi oportet: ſi diætæ parcæ primis ab annis dum corpus vigeſcit, ſeſe aſſuevit, tam longe abeſt ut periculum ex tali regimine metuatur, ut etiam, utile et efficaciſſimum remedium ad podagram depellendam foret. Hiſce in caſibus cibus ex lacte paratus ſit admodum idoneus, nam, medium locum carnes

inter et fruges tenet. Semina farinacea nutrimentum accommodatum talibus ægrotantibus præbent, ſed obſervatu dignum eſt, omne far ante uſum ejus probe fermentari debere, quoniam exinde concoctu fit facilius, et ventriculis minus validis magis convenit. Quando corporis conſtitutio vel intemperantia vel labentibus annis fracta eſt, regimen nimis parcum, infirmato corpore, multum noceret: quandoquidem cœna ſemper ventriculi vires debilitare periclitatur, haudquaquam permittenda eſt; et liquores fermentati parce admodum ſumendi ſunt, quoniam corpus infirmant: ſi quidem, ab ingraveſcente ætate aliave cauſa urgente, ut prava conſuetudine, &c. non poſtulentur, ex toto evitari debent. Aqua fontana plerumque podagricis optimus eſt potus.

Amara.—Multa exempla auctoribus, quæ diuturnum medicamentorum hujus claſſis uſum per ſe ſatis fore demonſtrant, ad podagricum paroxyſmum arcendum, traduntur. Sed ægri a podagra hoc modo liberati, aliis vix enumerandis malis evaſerunt

ſerunt obnoxii, qualia ſunt dyſpepſia et ejus ſequelæ, hydrops, &c. quæ gradatim ingraveſcentia paucos intra annos exitium afferunt. Pulvis Ducis Portlandiæ, ut vocabatur, qui ex amaris et aromaticis componitur, ſummis laudibus, in curanda podagra diu ſpecifici inſtar, habitus eſt, ſed tandem in deſuetudinem abiit, nam varia fuere exempla dira, quæ, hunc pulverem, quamvis multos ex affectione articulorum liberaviſſet, tamen poſt aliquod tempus, omnes fere aſthmate, apoplexia, aſcite aliiſque podagræ atonicæ ſignis infeſtare, teſtantur.

Periculum, quod diuturnum horum medicamentorum uſum ſequitur, antiquis ipſis bene notum fuit, ſed multo melius hodiernis perſuaſum eſt, igitur, talibus remediis omnino abſtinendum eſt:

Gummi Guaiacum.—Hoc, ad podagram levandam, (et interdum ut fertur, profuit) datum fuit. Sed utpote alios morbos movens, ut hydrothoracem, &c. neglectum eſt, tamen cum ventriculi affectiones vel dolores aberrantes, aliis in partibus

corporis, quæ ad atonicam ſeu retrocedentem podagram referri poſſint, infeſtant, hoc remedium multum auxilii affert *.

Alkali.—Hujus, variæ formæ, ut alkali fixum, mitius et cauſticum, aqua calcis, ſapo et aqua alkalina aërata, exhibitæ ſunt. Aqua alkalina aërata nuper aliquod levamen podagricis præbuiſſe reperta eſt.

Alvus aſtricta ſemper ventriculum debilitando varias affectiones inducit, igitur idoneis medicamentis ut magneſia alba, rheo et ſimilibus, ſoluta tenenda eſt. Flores ſulphuris in hoc morbo minime conveniunt, nam, quamvis aliquando paroxyſmum podagricum ſolvunt, tamen maximo periculo, eos frequentiores et ſæviores reddendi haud carent, ut, ab eximio Profeſſore Home ſatis probatur †.

Calor ſemper laxat atque debilitat, itaque omnia quæ præter naturam corporis calorem augeant, ut

* Cullen's Firſt Lines,

† Audi ejus Prælectiones.

ut cubicula calida, liquores nimis tepidi, et ſimilia, podagricis ſedulo fugienda ſunt, et porro, animi tranquillitas omni ope colenda eſt *.

Quandoquidem podagra in calidioribus regionibus raro graſſatur, ſed maxime eos invadit, qui in frigidioribus vivunt; et in iis caſibus ubi æger miſerrime cruciatur, et uſum membrorum perdit, et per majorem partem anni lecto figitur, tempore æſtivo maximum levamen percipit; porro, utpote ſubita corporis refrigeratio paroxyſmum podagricum haud raro inducit, et denique utpote paroxyſmuli qui magnum paroxyſmum faciunt, levi pedum et interdum totius corporis madore plerumque ſolvuntur; ſatis patebit, peregrinationem in regiones calidas optime podagricis ſuccedere, ob has præcipue cauſas, ut omnia nocentia quæ ab hyeme noſtra proveniunt evitentur, ut beneficia qualiacunque ſint quæ tempus æſtivum ſuggerit continuentur, et ut perſpiratio et debita fluidorum ad corporis ſuper-

* Sydenhamus de Podagra.
Hoffm. de dolore Podagrico, Tom. VI. p. 178.

ſuperficiem determinatio promoveantur, vel, ſi repreſſæ fuerint ut reſtituantur.

Iis, quæ per intervalla facienda ſunt, conſideratis, nunc reſtat, ut ad ea quæ durante paroxyſmo adhibenda ſunt, progrediamur.

Omnes irritationes tum corporis tum animi evitandæ ſunt, utpote quæ vim febris intendunt, et quoque omnia alia quæ a regimine antiphlogiſtico aliena ſunt: ſed a frigore caveri debet; frigoris quidem applicatio non ſine maximo periculo morbum retrocedentem faciendi foret. Si inflammatio magis urgeat, ſi æger junior ſit, ſi plenior ſit corporis habitus, et ſi victui lauto aſſuetus fuerit, ad ſanguinis e brachio detractionem, ſub initio, non ſine fructu, confugi poteſt, ſed caute repetenda eſt.

Hirudines partibus affectis admotæ, frequenter ad reddendum paroxyſmum breviorem et minus vehementem, multum valent *, et dum ſanguinem eliciunt, cavendum eſt, ne pars aëri frigido exponeretur: mittentibus cutem hirudinibus, pars panno laneo tegenda eſt, hac ratione, membrum inflam-

* Gardiner on the Gout.

flammatum ſatis calidum ſervabitur. Quamvis regimen antiphlogiſticum, uſum vini vel cibi animalis vetat, tamen, ſi ventriculus debilis ſit, et ſi uſui liquorum ſpirituoſorum æger aſſuetus fuerit, moderate exhibenda ſunt. Vinum generoſum ſicut *Maderienſe* hic optime convenit.

Cathartica.—Plerumque ſolenne fuit *, ubi dolor et inflammatio adfuerunt primas vias exonerare, et quidem, hoc in morbo, ſi actio vaſorum nimia ſit, ſi inteſtina ab accumulatione ſtercoris, irritari videantur, hæc remedia ſunt utilia, ſed quoniam cathartica ſæpe ventriculum debilitare, atque totum corpus perturbare periclitantur, fit neceſſarium eorum loco, enemata emollientia leniora ſubſtituere, et plerumque hoc ſat erit. Peracutus SYDENHAMUS, purgationem alvinam ſtatim poſt paroxyſmum factam, ſummo periculo reditus paroxyſmi comitari, opinatur †:

Sudorifica.—Ex his in prima hujus diſſertationis parte dictis ſatis conſtat, reſtituta, partibus laborantibus

* HOFFMANNUS.

† SYDENHAMUS de Podagra.

borantibus perſpiratione ſuppreſſa, ad inflammationem minuendam, dolorem mitigandum, et ad paroxyſmum breviorem reddendum, multum conferre; ſed attentione dignum eſt, ſudorem, calidis ſtimulantibuſve remediis, vel calore externe applicato, non eliciendum eſſe; multo tutius liquorum mitiorum hauſtibus ut aquæ hordeatæ, infuſi ſeminum lini, ſeri vaccini, &c. efficitur, et ſemper cavendum eſt ut excretio, generalis ſit, et etiam ne nimis repente interrumpatur.

Opium.—Antiqui medici ſæpe remedia narcotica ad dolorem compeſcendum, adhibuerunt, ſed ſemper periculum ab eorum uſu timuiſſe videntur, ſatis quidem conſtat, opium levamen a dolore ſæpe præbere, ſed caute exhibendum eſt, ne efficiat ut frequentiores et magis violentes redierint paroxyſmi; ſi æger ætate provectior ſit, ſi ſigna febrilia fuerint ſublata, ſi ad caput non nimia ſit determinatio, et denique ſi morbus iterum atque iterum ſeſe oſtenderit, hoc remedium, dolores ſepiendo, ſomnum tranquillum præbendo, ſudorem lenem eliciendo,

et

et paroxyſmi durationem minuendo magnopere valebit.

Emetica.—Quoniam ventriculus, hoc in morbo, plus minuſve plerumque laborat, non ab re erit, nauſeâ urgentê, emetica dare, utpote quæ ventriculum a ſordibus liberant et exhalationem per cutem promovent; ad poſterius præſtandum induſia lanea multum conferunt. Emetica, quamvis ſæpe utilia, tamen periculo (res iterum atque iterum inculcanda) vires ventriculi debilitandi haud carent. Articulorum tumor et rigiditas, quæ poſt paroxyſmum manere ſolent, frictione (præſertim ſtrigili) et exercitatione, apte diſcutiantur.

Multa externe applicari ſolita ſunt, qualia ſunt, opium, camphora, olea aromatica, combuſtio ope moxæ, urticarum punctio, epiſpaſtica, balneum tepidum et ſimilia, et hæc ſane quietem parvam, quæ ægrum multum juvat, præbent, inflammationem tamen aberrantem facere ſemper periclitantur, in uſum igitur minime revocanda ſunt;

proculdubio multo melius eſſet, ægrum patientiæ et panno laneo committere.

" His, qui nihil ſapiunt mihi contrarium,
" Animum gero mitem, et fio placabilis."

Curatione podagræ regularis peracta, nunc tantummodo reſtat, ut de curatione irregularis quam breviſſime ageremus.

In podagra atonica, ſi ventriculus vexatur, ad ſtimulantia et tonica decurrendum eſt, qualia ſunt exercitatio, (quæ in hac ſpecie æque ac regulari multum prodeſt) et vinum generoſum ; ſed cavendum eſt ne acorem in ventriculo gignat, quo in caſu, liquores ſpirituoſi diluti exhibendi ſunt. Balneum frigidum eſt anceps remedium, igitur caute adhibendum. Ægrum victu pleno uti oportet. Cortex Peruvianus, utpote qui ventriculi tonum firmat, ſumi poteſt, ſed ex antedictis minime congruum videtur in ejus uſu diu perſtare. Hac in podagræ ſpecie calor externus multum juvat. Rubigo ferri ſæpe utilis reperitur ; et denique, emeti-

ca

ca lenia, quippe quæ ventriculum abluunt et alvum quoque laxam ſervant, admodum utilia ſunt.

Quando podagra retrocedens ventriculum vel inteſtina vexat, ſtimulantia validiſſima, ut vinum et aromata ſimul copioſe ſumpta, ad morbum depellendum admodum ſunt idonea; his incaſſum exhibitis, ſpiritus ardentes tentandi ſunt. Si pulmones laborent, opium, æther aliaque antiſpaſmodica utilia evadunt, et veſicatoria pectori et extremis applicari debent. Si caput interne vexetur nunquam non maximum periculum habet, a ſumma partis affectæ neceſſitate, in hoc caſu fidendum eſt ſolum veſicatoriis et emplaſtris ſtimulantibus capiti et extremitatibus applicatis.

In podagra aberrante, ad remedia ad inflammationem earundum partium idiopathicam tollendam accommodata decurrendum eſt.

Diſputatione hac medica jam ad finem perducta, me artis ſalutiferæ cumulo parum contuliſſe lubenter agnoſco. Abunde ſufficit in præſens, dum in diſcendo totus occupor, ſi hi mei labores, licet maculis permultis referti, Profeſſoribus hujuſce almæ academiæ

cademiæ nunquam ſatis æſtimandis arrideant, ut his qui optime et operis difficultatem et meam diligentiam æſtimare noverint haud male officio functus eſſe videar.

Reſtat nunc tantum, ut ab hac Academia diſceſſurus meis Præceptoribus eruditiſſimis gratias quam maximas ex animo agam, quorum prælectionibus omnem meam fere medendi ſcientiam acceptam refero. Data autem occaſione, me illa præterire omnino nefas eſſet, quæ benigna et amica in me fecit eruditus admodum vir JACOBUS GREGORY, M. D. medicinæ in hac alma academia Practicæ Profeſſor, et rei medicæ peritus ut vix alius quidem, quum eximia ejus erga me beneficia, iterum atque iterum expertus ſum, dum aliquando atroci morbo laborarem : proſperi ejus labores artis ſalutiferæ cultum ſemper ſpectant. Præceptis ſuis multum, multum conſiilis deberi mens grata libenter profiteri jubet. Rem medicam ingenio promovere diu perſtet ut hucuſque merita cum laude perſtitit.

FINIS.